Data Cracoviæ die 10. Aprilis 1699.

Copia Litterarum D. Paget Mediatoris Angliæ ad Excellentiſsimum D: Staniſlaum Małáchowſki, Palatinum Poſnaniæ.

Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, Domine Colendiſſime.

CVm Excellentiſſimi DD. Plenipotentiarij Ottomanici fulgidam Portham ingreſſi de quadam Tartarorum in Poloniæ limites invaſione (quamvis ante notificationem Pacis inſtituta) rumorem accepiſſent, protinus adhibitâ ad malum hoc inhibendum ſedulitate, per ſuas litteras mihi nuncium participârunt. has autem pro vt modo facio, Excellentiæ Veſtræ tranſmittere haud abs re fore duxi, illud animo revolvens, me taliter tam Excellentiæ Veſtræ quàm DD. Ottomanicorum Plenipotentiariorum ſatisfactioni correſponſurum. Dabitur Excellentiæ Veſtræ occaſio inſpiciendi, quanto Religionis ardore altè memorati Domini Pacis nuper concluſæ integritatem ſibi tuendam aſſumpſerint. ad hoc autem Officium lubens devenio, cum inde commoda mihi anſa ſuppeditetur, vt Excellentiæ Veſtræ Obſequia mea deferre, eandemque, de candidi cordis non elangveſcente affectu certiorem facere poſſim. Id velim ſibi perſvaſum habeat Excellentia Veſtra, me prout in Carlovienſi Congreſſu ſincera ſibi devotione addictum cognovit, ſic etiam vbicunque, eodem tenore firmiſſimè permanſurum. Tales enim enitent in perſona Excellentiæ Veſtræ animi dotes, vt ſemel illis adſtrictus in perpetuum me profiteri velim & optem.

Excellentiæ Veſtræ

Datæ Bellegradi, die 8. Menſis Martij 1699.

Humillimus & Addictiſsimus Servus
G. Paget